



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Epistola XIV. Caelestini Papae III. Ad Hvbervm Cantvariensem Episcopvm.  
De negotiis terrae sanctae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

canonicorum Eboracensis ecclesiæ, ab eodem archiepiscopo post appellationem ad nos interpositam, promulgatam, irritam iudicetis penitus & inanem; ita tamen, vt dictos canonicos & alios in eadem sententia nominatos ad maiorem cautelam auctoritate apostolicæ sedis absoluat. Omnes autem illos, qui in Benedictum clericum supradicti decani, Gualterum presbyterum, Richardum de Semare, & quinque de Cauel clericos, & alios clericos Eboracensis ecclesiæ, manus temerarias iniecerunt, vel qui eis violentiam præceperunt inferri, tamdiu nuntietis, appellatione remota, excommunicationis vinculo detineri, donec passis iniuriam congrue satisfecerint, & cum vestrarum testimonio literarum ad sedem veniant apostolicam absoluendi. Quod si omnes his exequendis nequiveritis interesse, duo vestrum ea nihilo minus exequantur. Datum Laterani x. Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno quinto.

## EPISTOLA XIV.

## CÆLESTINI PAPÆ III.

AD HVBERTVM CANTVARIENSEM EPISCOPVM.

De negotiis terræ sanctæ.

*Cælestinus episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Huberto Cantuariensi archiepiscopo, & apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.*

**E**x parte tua in audientia fuit nostra propositum, quod multi sunt in Anglia, qui, vt sepulcrum Domini visitarent, & illi terræ sanctæ in qua steterunt pedes Domini subsidium opportunum conferrent, crucem dominicam assumpserunt; & licet votum possint perficere, tamen ab executione eiusdem se subtrahunt in suarum periculum animarum. Sunt etiam quidam, qui licet crucem suscepserint; pro paupertate tamen & corporis debilitate, vel alia iusta causa, emissum votum non possunt, sicut conuenit, adimplere. Verum quia quid super his agendum sit circa eos nos duxit fraternitas tua consulendos, auctoritate tibi præsentium respondemus, per apostolica scripta mandantes, quatenus omnes illos, qui votum ta-

le emiserunt, sicut dictum est, & ad illud explendū propriae suppetunt facultates, nisi ex iusta causa omittendum, eos ad exequendum quod gratis vouisse dicuntur per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Ceterum de his qui paupertate & corporis debilitate, vel alio iusto impedimento, votum quod emisisse noscuntur, non possunt (sicut conuenit) adimplere, volumus ut, cum super his veritas tibi fuerit declarata, poenitentia congrua eis iniuncta, licentiam eis tribuas remanendi: eisdem firmiter iniungens, ut, quam cito exequendi votum suum libera eis fuerit attributa facultas, id exequi sine dilatione aliqua non postponant. His vero, quos pro infirmitate corporis tibi constiterit nullatenus posse in propria persona votum suum prosequi, vnam personam idoneam, vel plures (secundum quod facultates eorum suppetierint) ultra mare transmittant in suis expensis, per annum, vel amplius iuxta tuum arbitrium, ibidem in Iesu Christi obsequio moraturas. Datum Laterani secundo Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno v.

## EPISTOLA

## PHILIPPI BELVACENSIS EPISCOPI

AD CÆLESTINVM PAPAM.

De captione sua.

*Venerabili domino & patri Cælestino summo pontifici Philippus Beluacensis episcopus salutem & obedientiæ canonicæ deuotionem.*

**S**VPERNÆ dignitatis fauor felicitatem vestram & multiplices successus euexit in altum, ad memoriam reducens illud legale: Infantes inuitat ad culpam, qui fontes præterit impunitos. Vniuersis ecclesiis iam quasi notorium habetur, quam irreuerenter quamque inhumaniter in dominum suum regem Francorum rex Angliæ iam pridem insurrexerit, similis homini qui montem magnum fune circumligatum tentat deiicere, afferens igitur secum ignem & gladium, subnixus etiam apostaticis Braibancenorum cohortibus, patriam nostram irruerat, circūquaque depopulando. Quod cum vidissem, illius legalis non immemor, Vim vi repellere licet, & illius, Pugna pro patria, militum & ciuium cuneis, & aciei procerum

*Conc. Tom. 28.*

K